

autem suspensivum. Sanchez d. disp. 10. num. 19. *U numer. 21. Avers. quest. 7. sed. 2. Filiuc. loc. cit. Stephanus à S. Gregorio loc. cit. num. 12. De Justis loc. cit. num. 148. & eo casu Superior tenebatur, vel dispensare, vel cogere inferiorem, ut dispenset. Sanchez & Filiuc. loc. cit. Barbosa d. allegat. 32. num. 52. Hostiens. in summa lib. 5. tit. de dispens. num. 2. Sperell. dec. 111. num. 11. De Justis loc. cit. num. 149.*

63 In casibus, in quibus necessaria est dispensatio, vel pro legitimanda prole, ut si mortui proximus velit cum concubina contrahere, vel ad evitandum periculum infamiae, aliaque gravia imminenda scandala, & mala, & Ordinarius adiri non possit pro dispensatione, seu injuste, & indebita dispensationem denegasset, & periculum esset in mora, tunc parochus possit sine denuntiationibus matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in similibus urgentibus casibus, quia necessitas nullam legem agnoscit cap. Consilium 2. de observatione. *Fejuniorum*, ibi: *Cum non subjaceat legi necessitas, & leg. unio. ff. de offic. consulti. leg. Aliquando 5. ff. de Proconul. (Ad rem l. 4. tit. 18. p. 2. ibi: Apressudo.)* Sic Siquillant. de oblig. Cleric. part. 2. num. 124. Sanchez disp. 10. num. 25. & 29. Layman lib. 5. tractat. 10. part. 2. cap. 4. num. 11. Filiuc. loc. cit. num. 182. De Justis loc. cit. num. 144. Tanner. tom. 4. disp. 8. quest. 3. num. 132. Gobat tract. 10. num. 403. & sequent. Partius lib. 5. cap. 32. num. 7. Barbosa d. allegat. 32. num. 53. Aversa quest. 7. sed. 2. vers. Si tamen, Reiffenstuel loc. cit. num. 39. & sic contractum fuisse validum quoddam matrimonium censuit Sacra Congregatio Concilii in una Mediolanensi die 23. Februarii 1530. ut refert, & tenet Pirrh. Corrad. in praxi dispens. Apostolic. leg. 7. cap. 7. num. 26. Hinc patet denuntiationes non requiri ad validitatem matrimonii, cum per omissionem earum etiam sine Ordinarii dispensatione non reddatur nullum matrimonium, ut censuit Sacra Congregatio Concilii in una Mediolanensi die 24. Septembris 1591. tenoris sequentis: *Sacra Congregatio Concilii censuit, matrimonium contractum non premissis denuntiationibus, nisi aliud obstat, irritum non esse. Et in alia Juridin. de mense Novemb. 1587. censuit omissione denuntiationum, & contradictione parochi adhibiti non effici nullum matrimonium. Sic refert Panimoll. part. 3. dec. 173. adnotat. 1. num. 1. & tenet communis Doctorum, & continua praxis.*

65 Post factas denuntiationes, qui novit aliquod impedimentum inter volentes contrahere, etiamsi occultum sit, & illud probare non possit, tenetur sub peccato mortali vel talium denuntiationum manifestare dummodo tamen absque suo gravi incommodo, aut praedictio id facere possit. Et ratio est, quia quis tenetur avertere ruinam spiritualem, & grave peccatum alterius, atque irreverentiam sacramenti, si commode, & absque sui praedictio potest; unde cum in casu nostro hoc possit, ex quo revelando impedimentum facit, quod alii contrahendo graviter non peccent, & ne gravis irreverentia irrogetur sacramento, quod aliis fieret, stat evidenter teneri sub gravi ad manifestandum; ita Gutierrez. Can. leg. 1. cap. 11. num. 12. & 27. *De matrim. c. 59. num. 9. Sanchez leg. 3. disp. 13. num. 2. Conineh. disp. 27. dub. 7. num. 61. Reginald. leg. 31. num. 128. Reiffenstuel loc. cit. num. 49. Hurtad. de matrim. disp. 5. dist. 21. Bonacina. de matrim. quest. 2. punct. 6. num. 20. Covarr. de sponsal. part. 2. cap. 6. §. 20. num. 21. Navarr. in manual. cap. 7. num. 83. Barbosa dict. alleg. 33. num. 25. & super Trident. dict. vers. 24. de reform. matr. cap. 1. num. 34. & aliis passim. Nec excusabitur ab obligatione denuntiandi, quavis ex ipsa denuntiatione secuturum sit damnum tertio, & quavis etiam ipse solus impedimentum sciverit, vel sub secreto accepit, vel ab aliis dici audivit, dummodo personae à quibus dici audivit, sint fide dignae; Non tamen si accepisset à persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminisset, à quibus dici audivit. Sanchez leg. 3. disp. 13. num. 7. Pont. leg. 5. c. 34. num. 1. Bonacina loc. cit. Filiuc. tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 5. num. 185. Boss. de matr. cap. 7. d. num. 164. Avers. quest. 7. sed. 4. Barbosa loc. cit. De Justis loc. cit. n. 211. & a 12. Cognoscens aliquod impedimentum, vel sub se-*

creto, vel occultum, ita ut solus ipse noverit, & tale impedimentum oritur ex infamia, aut peccato, & contrahentes sunt in bona fide, non tenetur detegere, sicut non tenetur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo. Barbosa dict. alleg. 33. num. 26. & super Trid. loc. cit. 35. Chamerata dub. 27. vers. 9. Bonacina d. punct. 6. num. 20. Basil. Pont. de impediment. matr. cap. 26. §. 4. vers. Denique; Hurtad. d. de offic. 21. num. 75. F. Emmanuel in summa p. 1. cap. 217. num. 9. De Justis loc. cit. num. 222. & alii. Et quod non tenetur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo est communis cum Pontio l. 5. c. 34. num. 2. quia charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud.

\* Denuntiationes matrimonii sine gravi causa non sunt omittendae: Benedic. XIV. tom. 1. const. 35. inep. Satis vobis, §. 5. Nec super trina denuntiatione matrimonii est facili dispensandum. Idem ibid. §. const. 85. inep. Nimiam, §. 1. & 13. Dispensandi facultas admittitur Nuncio Apostolico in Regno Poloniae comoranti, Idem ibid. §. 16. denuntiationum lex pro contrahendis matrimoniis in Servia, & finitimis regionibus est servanda. Idem ibid. constitut. 89. inep. Inter omni-genas, §. 11. \*

De origine denuntiationum matrimonii, vide, si lubet, Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Can. verb. Ban de Mariage sed. 1. num. 1.

Mire inter se dissentiunt Doctores de tempore, quod à factis denuntiationibus ad matrimonium elabi debet, ut ex repetantur. Alii tenent, tunc demum esse referendas denuntiationes, quum annus elapsus est. Alii sufficere arbitrantur, si elapsi sint menses quatuor, ut denuntiationes repetantur. Alii, quos sequitur Auctor num. 15. duos menses satis esse volunt pro repetitione denuntiationum. Et hunc terminum statuit D. Carolus Borromeus in Concil. Mediolanensi V. tit. 17.

Nata inde est haec varietas quod in jure nihil de hoc tempore sanctum est. Ego cum Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verb. Ban de Mariage sed. 3. num. 2. censeo, terminum hunc dependere debere à circumstantiis, tum à prudentia Episcopi. Quod si aliqua suspitio sit de novo aliquo impedimento, repetende sunt denuntiationes, quamvis nec duo menses sint elapsi.

Tametsi nonnulli cum Auctore num. 18. *De plur. sequent. sentiant*, denuntiationes fieri posse diebus non festis, si magnus sit populi concursus, & quidem etiam extra ecclesiam, tum fieri posse in ecclesia diebus festis, dum celebrantur vespere, Concilium tamen Tridentinum, ut observat Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verb. Ban de Mariage sed. 3. num. 4. aperte contrarium est, eo ipso quod decrevit, ut fiant denuntiationes diebus festis inter missarum solemnias.

Opinio Auctoris num. 31. quod Vicarius Generalis solum generalis commissionis Vicariatus possit dispensare super denuntiationibus, plures habet contradictores, quos citat Leuren. de Vicar. tract. 1. sed. 3. cap. 3. §. 8. quest. 161. Sequitur autem modo laudatus Doctor eandem Auctoris opinionem, sed una monet, posse Episcopos ejusmodi facultatem dispensandi super denuntiationibus &c. sibi ipsis reservare &c. Unde inquit, in Vicariatus hic, & nunc in dictis denuntiationibus remittendis dispensare valet, colligendum ex mente Episcopi, & ex consuetudine hujus, vel illius ecclesiae; ita tamen ut si in generali commissione Vicariatus, aut extra id expressum non sit ab Episcopo, aut aliud habeat dicta consuetudo, id possit Vicarius.

Dum contrahentes sunt duarum diocesium, necessario requirit, ut dispensatio super dispensationibus concedatur ab utroque Episcopo contra Barbosam, Sanchez, Bonacina aliosque, quos sequitur Auctor num. 34. tenet Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verb. Ban de Mariage sed. 4. dist. 3. num. 6.

De causis, ex quibus concedi debet dicta dispensatio confer Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica sed. 4. dist. 2. ubi improbat causam illam, quam

87 assert Auctor num. 52. imminenti temporis, quo nuptiae celebrari nequeunt, & pro se allegat D. Carolum Borromeum in Concilio Mediolanensi V.

88 Denuntiationes non esse necessarias, adeoque omitti posse, tenet Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verb. Ban de Mariage sed. 4. dist. 1. si celebratio matrimonii demandata sit secreto alicujus supremi tribunalis, &

(Nullum tempus, in quo nostra Sancta Mater Ecclesia clandestina matrimonia non fuerit detestata, occurrunt: sic nostrae leges clamitant 1. tit. 1. lib. 3. For. Reg. tit. 3. p. 4. 1. tit. 2. lib. 5. Ord. Reg. 1. tit. 1. lib. 5. Recop. Cast. 49. Taur. Vid. addit. his. verb. Matrimonium, vers. Super: Conducunt qua in add. verb. Parochia, & Parochus, in veruntur; Clandestinitas tripliciter leg. 1. & 5. tit. 3. p. 4. cadebat in considerationem, quando abdit, & absque testibus contrahatur matrimonium, occupat primum locum: secundum, dum sine consanguineorum notitia palam aut coram aliquibus celebratur: tertium obtinet, si intentio contrahentium, eorumque nomina cum obligatione denuntiandi, alioque ad ejus celebrationem impedimento invento, in ecclesia parochiali per ipsius praesbyterum non pateant, nam de istis, qui sic graece designantur, latine scens, satis sacerdotis & duces sacri leg. 9. tit. 6. p. 1. ibi: *Com Caddillos rador*, sacramenta leg. 8. 21. & 22. tit. 4. ejusd. p. Christicolae, excepto Confirmationis, recipere debent.

Hodie vero, Sacrosancti Tridentini Concilii dispositio attentata, per quam deterruit, nullos, irritosque esse hujusmodi, de Reformatione matrimonii cap. 1. contractus aliter celebratos quam praesente parochio, vel alio sacerdote de ipsius parochia, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus: videtur clandestinitas (ab Ecclesia est iudicanda: vide leg. sup. in princ. citat.) dumtaxat locum habere in casu quo, omissis denuntiationibus sive proclamationibus, ac sine aliqua cum parochio interloquutione ad contrahendum se praesentent, animum in eundem finem aperiendum; obvia ire per consequens praedictis, ex conjugis praemeditate non celebrandis resultantibus eadem Sancta Synodus cupiens, & ut quolibet obstaculo celebrationem impediens detegeret, sacri Lateranensis Concilii IV. Generalis XII. tempore Sanctitatis D. Innocentii III. congregati vestigiis inharendo, praecipit de cetero, priusquam celebraretur matrimonium, ter à proprio parochio publice inter missarum solemnias denuntiare, nisi aliud Ordinarius expedire cogitaverit: ideo, tamquam protector vid. add. verb. Forum, vers. per tot. Nemini in dubium: ejusdem Concilii Rex Catholicus Ordinarios hortatur, ut dispensationes denuntiationum voluntarie evitentur: *Vid. add. his. verb. Exhereditatio, praecipit in §. 17. Pragmatica Sanctione*, ibi: *citat. vid. etiam Auct. Acord. 6. tit. 8. lib. 1. vulgo Concordia Mensefor Pachetii, cap. 22. §. 11. ubi suas facultates in ejusmodi dispensationibus ipsemet restrinxit.*

Reminisci hic oportet Reg. Sched. 17. Jul. ann. 1784. expediri mandate, in qua demonstratur praxis in observantiam dictae Pragmaticae virtute doctrinae Cathedrae S. Pii V. (eum cognosce) introducta ab oppidi lingua vernacula de Agr. Cathalanae principatu existentis Archiepiscopo, docentis, non bene operare filiosfamilias, absque consensu, parentumque benedictione matrimonium contrahere procurantes, eosque, cum in peccato sint mortali constituti, ad sacramentorum participationem non esse admittendos: (siste praeumper, & reflectito) quare differtur matrimonii celebratio usquequo consensus paternum sollicitaverit: praeterea patefecit, primo, venia parentum obtenta, non solum dum promulgationes (si illa deficiat, nullo casu remittuntur) fiebant, verum etiam in conjugiorum libro quando contrahentium & testium nomina, dies & locus contracti matrimonii describuntur, adnotari circumstantiam hujusmodi, scilicet quod celebratio, intercedente paterno expresso consensu, procedebat: Secundo, dissentiente patre, ad iudicem secularem voluntatis cognitionem remitti, undique ulterioris processus in celebratione aditum interea temporis pracludendo: praesentibus animadver-

sis, Consilium supremum Castellae approbationem suam praxi suprascriptae interposuit: insuper Regia Majestas decrevit, ut in omnibus suis ditionibus esset uniformis observantia, eandem expediri, omnes Ecclesiasticos exhortando, ut curarent eandem methodum custodiri.)

DEPOSITIO. Vide verb. Degradatio per totum.

---

DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

SUMMARIUM.

1 Depositorum potest accipi, & pro re deposita, & pro contractu, & quid sit utrumque.

2 Depositum ut sic dividitur in Judiciale, & Privatim; & quid sit Depositum Judiciale.

3 Depositum Judiciale alio nomine dicitur sequestrum, seu sequestratio. Et haec sequestratio potest esse voluntaria, vel necessaria.

4 Quae sit utraque haec sequestratio, ad num. 5.

6 Assignatur aliud genus Depositum Judiciale.

7 Depositum Privatim quid sit, & quale sit.

8 Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis, aliter furtum committere censetur.

9 Sitamen Depositarius bona fide existimet id domino non displicere, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenetur.

10 Depositarius debet depositum custodire, & servare ea fide, ac diligentia, qua custodit, & servat res proprias.

11 Depositarius tenetur rem depositam restituere talem qualem accepit, non commutatam, &c.

12 Depositarius tenetur de dolo, & culpa lata.

13 Et adeo tenetur de dolo, ut neque valeat pactum de dolo non praestando.

14 Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri, non vero de remissione doli praeteriti.

15 Depositarius non tenetur de culpa levi, & levissima.

16 Excipiuntur tamen plures casus, in quibus depositarius tenetur etiam de culpa levi; Primo scilicet, quando expresse convenit, ut etiam culpa levis praestetur.

17 Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum depositum obtulit.

18 Tertio, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit.

19 Quarto, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, quando requiritur ut depositum redderet, est in mora reddendi.

20 Depositarius non obligatur ad praestandum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum, culpa, & mora culpabilis processit casum fortuitum; & quae deponenti in re deposita liceant, ad num. 29.

30 Quae obligatio ex parte monasterii, aut ecclesiae, ex depositio in clerico, vel regulari, ad num. 32.

33 Depositarius inter res depositas, & suas quid servare debeat, si periculo sint exposte ad 38.

39 Novae add. inseruntur, ad num. 59.

DEPOSITUM potest accipi & pro re deposita, & pro contractu. Depositum sumptum pro re deposita definitur sic: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est; leg. 1. §. 1. ff. de depositi. Depositum sumptum pro contractu, sic definitur: Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restitatur, colligitur ex cit. leg. 1. iuncta Glossa, verb. datum, & est in re communis. (Proemio, & in leg. 1. §. 2. tit. 3. p. 5. Consonat lex 5. §. 6. tit. 15. lib. 3. For. Reg. Ad rem leg. 15. tit. 18. lib. 5. Rec. Cast. 72. tit. 18. p. 3.)* Depositum ut sic dividitur in Judiciale, & Privatim. Depositum Judiciale est, quando res in iudicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restitatur. Depositum Judiciale alio nomine dicitur sequestrum, seu sequestratio, quae



sequestratio potest esse vel voluntaria, vel necessaria. 4. Sequestratio voluntaria est illa, quae fit mutuo partium consensu; ut cum partes de aliqua re litigantes, ratione scandalii vitandi, vel alia causa, voluntario, & mutuo consensu rem illam deponunt apud tertium, ut eam interim custodiat, & postmodum tradat vincenti. Sequestratio necessaria est contra est illa, quae fit auctoritate, sive mandato Judicis, & dicitur necessaria, quae fit sine communi partium consensu, ac plerumque altera parte invita, simulque quia necesse habent partes litigantes tali sequestro stare, eidemque obtemperare. 6. Aliud genus depositi Judicialis assignatur, & contingit tunc, quando debitor offert creditori debitam pecuniam, & creditor eam recusat accipere; tunc enim debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas potest eam consignare, seu deponere apud Judicem, textu expresso in leg. Acceptam, C. de usuris, ubi subjungitur, quod hoc modo debitor, & a periculo casus fortuiti liberetur, (seu interesse), & a periculo casus fortuiti liberetur, & jus pignorum tollatur. Depositum privatum est, quod fit privata partium auctoritate, ut quando apud privatum aliquem, de cuius fide, & diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam recte custodiat. (Triplex depositum contrahitur: aliud est voluntarium, & necessarium aliud, sub cuius nomine judicialis comprehenditur, quod etiam eodem modo subdividi, dist. leg. 1. tit. 3. p. 5. Consonant leg. 29. tit. 11. p. 4. & 11. tit. 10. p. 7. Videatur tit. 9. p. 3. praecipue in ejus leg. 1. ubi sex specialiter signantur casus propter quos debet sequestratio permitti, hoc est judicialis depositum. Vid. leg. unie. tit. 10. lib. 3. Ord. Reg. & unie. tit. 12. lib. 4. Recop. Cast. leg. 8. tit. 10. lib. 5. Ind.) 8. Depositarius non potest uti re deposita absque consensu expresso, vel tacito ejus, qui depositum, alioquin furtum committere censetur, textu expresso in leg. Si sacculum, ff. de depositis, ubi: Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, & si, penes quem depositum fuit, me invito contraxerit, & depositum, & furti actio mihi in eum competet. Sic etiam statuit, §. Furtum autem, contr. de obligat. quae ex delicto nasci. ibi: Sive creditor pignore, sive in, apud quem res deposita est, ea re utatur, furtum committit. Notanter autem dicitur, sine consensu expresso, vel tacito ejus, qui rem deposuit, ut intelligatur, quod si depositarius bona fide existimet domino id non displicere, ut utatur re deposita, non peccavit utendo, nec furti actione tenebitur; & hoc multo magis, si dominus expressam licentiam utendi concesserit, cit. leg. Si sacculum, §. si permissio meo, ff. de depositis. (Leg. 1. & 3. tit. 14. p. 7. Ad rem, lex 20. tit. 13. p. 5.) 10. Depositarius debet depositum custodire, atque servare ea fide, cura, & diligentia, qua solet custodire, & servare res proprias, textu expresso in leg. Quod Nerva, ff. de depositis, ubi: Nisi tamen ad suum modum curam in deposito praestet, fraude non caret; Nec enim salva fide minore non iis (depositis) quam suis rebus diligentiam praestabit. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, id est non fractam, non comminutam, nec aliquo modo sua imputabili culpa deterioratam, alioquin non videtur res reddita, & potest contra eum agi actione depositi; textu expresso in leg. 1. §. An in pupillum, ff. de depositis, ubi: Si res deposita deterior reddatur, agi depositi potest; cum enim deterior reddatur, potest dici dolo malo redditam non esse. 12. Hinc depositarius tenetur de dolo, & culpa lata; leg. 1. junct. Gloria, vers. Culpam, C. de depositis, ubi dicitur: Qui depositum accepit, dolum solum, & latam culpam praestare debuit; concordat textum in leg. 1. §. Inconduco, §. §. ult. ff. de depositis, & cap. Bona fides 2. de deposito, ubi expresse dicitur, bona fides abesse praesumitur, si rebus suis salvo existentibus depositas amiserit, ubi autem bona fides abesse praesumitur, ubi praesumitur dolum abesse, nam contraria sunt, ut expresse dicitur Glossa ibid. verb. Rebus tuis. Et est communis. Depositarius adeo tenetur de dolo, ut non valeat pactum de dolo non praestando, talis enim conventio est contra bonam fidem, bonosque mores tribuens peccandi licentiam, leg. 1. §. Illud non est, ff. de depositis, & consimili pacto de dolo non

praestando improbat generatim in omnibus contractibus; leg. Contractus, ff. de reg. jur. & leg. Si unus, §. Illud, ff. de pactis, ubi: Illud nulla pactio effici potest, ne dolum malum praestet. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri; non vero de remissione doli praeteriti, ut observat Glossa communiter recepta in cit. §. Illud, & ratio disparitatis est, quia per remissionem doli futuri animaretur quis ad male agendum, seu dolum committendum, secus vero per remissionem doli praeteriti, ut de se patet; unde sola pactio de non praestando dolo futuro, utpote in animae detrimentum vergentes, improbantur, & non sustinentur, arg. c. Pactio facta 8. de pactis, ubi: Quod etiam de aliis (pactionibus) est dicendum, quae observata vergent in animae detrimentum. Nam iuxta legitimam sanctionem, pactum turpe, aut impossibile de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. (L. 29. t. 11. p. 3. s. 1. 10. 28. 29. 30. 31. t. 11. p. 5.) Depositarius non tenetur de culpa levi, & levisissima. Est communis, arg. cit. l. i. C. de depositis, ubi expresse dicitur, depositarium teneri solum de culpa lata, & dolo, ubi: Qui depositum accepit, dolum solum, & culpam latam praestare debuit. Et ratio est, quia in contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantum, praestatur solum dolum, & culpa lata, non vero culpa levis, & levisissima; depositum autem regulariter fit tantum gratia deponentis, leg. Si ut certo, §. Nunc videndum, ff. commodati, adeoque &c. Excipiuntur tamen plures casus in quibus tenetur depositarius etiam de culpa levi. Sic Glossa communiter recepta in c. Bona fides, de deposito, verb. de culpa, ubi plures tales casus enumerat. Primo igitur tenetur depositarius etiam de culpa levi, quando expresse convenit, ut in deposito etiam culpa levis praestetur, textu expresso in leg. Depositum 1. §. 6. ff. de depositis, vel contra, ubi: Si convenit, ut in deposito & culpa praestetur, rata est contractus conventio, contractus enim legem ex conventionione recipiunt; & iterum ibidem in §. 35. ubi: Sepe evenit, ut res deposita, vel nummi, periculo tui ejus, apud quem deponuntur, ut puta si hoc nominatim convenit, &c. consimiliter habetur in leg. Juris gentium 7. §. 15. ff. de pactis, lib. 2. tit. 14. ubi: Si quis pactus sit, ut causa depositi omne periculum praestet, Pomponius ait passionem valere, nec quati contra juris formam non esse servandam, & ibidem habetur in Regul. 85. Juris in 6. ubi: Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur. Secundo, depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum depositum obtulit, & postmodum res deposita culpa sua licet levi perierit, citat. leg. Depositum 1. §. 35. ff. de depositis; & c. Bona fides 2. de deposito, ubi sic expresse statuitur: De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti. Et ratio est, quia depositarius se ipsum offerens ad recipiendum depositum, hoc ipso ad diligentem custodiam sese obligare censetur. Tertio, depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit, citat. leg. depositum 1. §. Si vestimenta, & §. Si quis servum, ff. de depositis, & citat. c. Bona fides 2. de deposito, ubi expresse dicitur, de culpa quoque teneris, si aliquid pro custodia recepisset. Et ratio est, quia tunc datur actio ex conducto adversus depositarium, ex quo custodiam rei in se recepit interveniente mercede pro tali custodia, & sic cum talis contractus sit factus gratia utriusque, scilicet depositotis, & depositarii, debet praestari nedum culpa lata, sed etiam levis: non vero culpa levisissima; arg. cit. leg. Si ut certo, §. Interdum, ff. commodati. Et est communis. Quarto tenetur depositarius etiam de culpa levi, quando requisitus ut depositum redderet, est in mora reddendi; l. si in Asia 10. §. 3. ff. de depositis, vel contra, ubi: Depositum quoque eo die, quo depositi actum sit, periculo ejus, apud quem depositum fuerit, est, si iudicis accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit, leg. Quod te 5. ff. de rebus creditis, lib. 12. tit. 1. ubi: Quod te mihi dare oportuerat, ut si postea perierit, quam per se factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat. Immo ratione morae in reddendo imputatur etiam casus fortuitus textu expresso in cit. c. Bona fides 2. de deposito. Depositarius non obligatur ad praestandum casum 20 fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum, cul-

culpa (crassa) vel mora culpabilis praecessit casum fortuitum, textu expresso in citat. c. Bona fides 2. de Deposito, ubi: Pacto vero, culpa, vel mora praecedentibus, casus etiam fortuitus imputatur. Quod casus fortuitus non imputatur, habetur expresse in leg. Contractus 23. ff. de div. veris. Regul. Juris antiq. lib. 50. tit. 17. ubi: Casus... qui sine culpa accidit... a nullo tenetur. Quod autem ad casum. Cum gratia sui in de commodato. Quod autem ad casum etiam fortuitus obligetur depositarius ratione pacti, habetur etiam in leg. Depositum 1. §. 6. ff. de depositis, & in leg. Juris gentium, 7. §. 15. ff. de pactis, lib. 2. tit. 14. & in Regul. 85. Juris in 6. Quod tenetur ratione culpa praecedentis ad casum fortuitum, habetur etiam in cit. leg. 1. §. Si rem, ff. eodem, qui enim dat causam damni, damnum dedisse videtur. Quod tenetur ratione morae culpabilis habetur etiam in leg. Si Asia 12. §. 3. ff. de depositis, & in leg. Quod te 5. ff. de rebus creditis lib. 12. tit. 1. saltem si res aliquo non fuisset peritura apud dominum, si suo tempore restituta fuisset. Glossa ibid. verb. Periculo iusta. Glost. marg. tit. B. nam mora sui cullebet est nociva. Regul. 25. Juris in 6. & expresse habetur in leg. Item 11. §. fin. ff. de re vindic. §. tit. 1. ubi: Sed est verius, si forte distructura erat petitio, si accepisset, moram passio debere praestari; nam si ei restitueret, distraxisset, & praetium esset lucratus. (Ut praecedentibus omnibus assertis ex num. 10. argue in praesens conveniens intelligenda detur, recognoscere erit necessarium quae supra verb. Commodatum, & verb. Culpa: exponuntur in hisce tractibus culpam diversitas, quae sint, quid dolum, casus fortuitus, & quae praestatio eorum in singulis contractibus, denotantur; consentaneum per consequens meditari leges referre, quibus doctrina supra hic relata, & verb. Commodatum, fultitur: sunt equivalent leg. 2. & 3. tit. 2. §. 4. & 5. tit. 3. 23. & 24. tit. 7. argue ad 22. tit. 8. 28. 29. 30. & 31. tit. 11. p. 3. Proximo tit. 16. leg. 1. tit. 33. p. 7. Ad idem tendit lex 1. & 6. tit. 15. lib. 3. For. Reg. Vid. add. hisp. verb. Locatio, vers. Compellendum: & novissimum verb. Assesor: Ne obliviscaris leg. 10. tit. 15. lib. 3. For. Reg. in qua de mora seu dilacione sicut in 4. praecedenti agitur, nam sua mora cullebet est nociva: leg. 27. tit. 5. p. 5.) 21. Depositarius potest statim quandoquidem voluerit depositum revocare, & depositarius debet statim rem depositam restituere, alioquin depositor potest depositum accipere, textu expresso in leg. Depositum 1. §. 22. ff. de depositis, vel contra, ubi: Est autem apud Julianum libro tertio decimo digestorum scriptum, cum, qui rem deposuit, statim potest depositum accipere, hoc enim ipso dolo facere eum, qui suscepit, quod repositum rem non reddat, Et in leg. Si quis 11. Cod. de depositis, vel contra, ubi: Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionem accepit, eas volenti, qui depositum, reddere illico modis omnibus compellatur, & in c. Bona fides 2. de deposito, ubi: Sane depositarii licuit pro voluntate sua depositum revocare. 22. Immo depositor potest restitutionem depositi sui repossere etiam antequam sit elapsus tempus, pro quo res deposita fuit; cum enim depositarius gratia contrahatur, non prohibendum est pro arbitrio revocare contractum, & mutare voluntatem; citat. leg. 1. §. Si hic, & §. Proinde ff. de depositis, & Gloss. ibidem, verb. Mutare ad §. penult. ubi: Deponens pecuniam reddendam post tempus, non est obligatus depositario non repetere ante tempus, & ideo potest mutare voluntatem, & ante tempus repetere. (Leg. 5. & 10. tit. 3. p. 5. 6. & 7. tit. 15. lib. 3. For. Reg.) 23. Dantur autem plures casus, in quibus depositarius rem depositam depositori repetenti statim reddere non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Et primo quidem res deposita non est statim restituenda depositori illam repetenti, quando aliquod de novo emergit restitutionem impediens citat. leg. Depositum 1. §. Est autem ff. de depositis, ubi: Marcellus autem ait non semper videtur posse dolo facere eum, qui repositum non reddat. Quid enim, si in provincia res sit, vel in horreis quorum aperientur condemnacionis tempore non sit facultas, vel conditio 24. depositio non existit? Secundo, si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur securum damnum spirituale, vel temporale fieri depositori, vel alicui alteri, ut si fu-

riosus repetat gladium a depositario, nam manifestum est tunc non esse reddendum; cap. Ne quis arbitretur 15. caus. 12. quest. 2. Tertio, quando bona depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata; tunc enim non ipsi depositori, sed Fisco tradenda sunt; leg. Bona fides 31. in princ. ff. de depositis; Depositor enim in tali casu amissis jus repetendi suum depositum. Quarto, quando Dominus, & fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda; tunc enim res illa non furi, qui eam deposuit, sed vero domino est restituenda; cit. leg. Bona fides 31. §. Incurrit hic. Si tamen domino non comparere solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ipsi reddenda; leg. 1. §. Si prado, ff. de depositis, & cit. leg. Bona fides 31. §. Incurrit, vers. Quod si ergo, Pirhing. lib. 3. decret. tit. 16. num. 7. Reiffenstuel ibid. numer. 23. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam, quam postea suam esse cognoscens non tenetur eam furi repetenti restituere, sed retinere potest; Immo etsi a domino ignorante tradita sit furi, quasi ex causa depositi, potest ab illo per conditionem indebiti repeti, cit. leg. Bona fides, §. Si tamen, & sequens ff. de depositis, Pirhing. loc. cit. num. 7. Reiffenstuel loc. cit. num. 14. Silvestri verb. Depositum quest. 10. & alii. (Non discrepat leg. 6. tit. 3. p. 5. 6. tit. 15. lib. 3. For. Reg.) Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus sui crediti erga depositorem; textu expresso in leg. Si quis 11. C. de depositis, vel contra lib. 4. tit. 34. ubi: Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionem accepit, eas volenti reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, & deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi & tunc quasdam contra eum, qui depositum, actiones personales, vel in rem, vel hypothecarias praetendens, cum non sub hoc modo depositum accepit, ut non concessa ei retentio generetur, & contractus, qui a bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur; & cap. Bona fides 2. de Deposito, ubi: Sane depositarii licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licite compensatio admittatur in aliis, si causa, ex qua postulator, sit liquida, ita quod facilius exitum reddatur habere; & concordat. l. i. C. de compensatione, lib. 4. tit. 31. ubi Justinianus Imperator probatis iustis compensationibus eam expresse excipit, quae fieri posset occasione depositi, ubi: Excepta actione depositi secundum nostram sanctionem, in qua nec compensationi locus esse depositum. Et ratio patet ex ipsis textibus, quia depositor rem suam committit fidei depositarii, ut illam sibi fideliter, & diligenter custodiet, donec revocetur, & depositarius se obligat ad talem rei custodiam, adeoque contra datam fidem agit, si talem rem penes se depositam non restituit. (Identificatur haec doctrina cum leg. 5. & 10. tit. 3. p. 4. & 6. proxime citat. For. Reg.) Ex deposito facto penes Clericum, v. g. Canonicum, 30 aut Religiosum, seu Rectorem ecclesiae, vel monasterii, & dolo seu culpa lata ipsius depositarii perditio, non potest obligari ecclesiae, vel monasterium ad resarciendum damnum, nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius ecclesiae vel monasterii, textu expresso in cap. Gravis 1. de Deposito, ubi: Gravis illa querimonia usque ad nos super deposito tuo tibi haecenus denegato pervenit, & infra; Cum enim non constet pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus est, in ecclesiae utilitatem conversam non debemus de jure contra Canonicos ejusdem ecclesiae, praetere intentare fustionis instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, persone, non ecclesiae commendatam. Et est communis Doctorum sententia hac ratione ex Regul. 76. juris in 6. desumpta, quod delictum persone non debet in detrimentum ecclesiae redundare. Notanter autem additum fuit: Nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius ecclesiae, vel monasterii, quia in tali casu ecclesiae, vel monasterium teneretur reddere id, quod dolo, vel culpa depositarii ad ipsam pervenit ex deposito, quia nemo debet locupletari cum alterius jactura: l. Nam hoc 14. ff. de condit. indeb. ubi: Hoc natura aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletariorem. Et Reg. gul.



gul. 48. juris in 6. libi Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. Sic etiam ecclesia, vel monasterium obligaretur ad instar aliorum depositariorum, quando Prælati sua cum capitulo, seu conventu, deponunt in suam fidem, & custodiam recepisset; Col-ligitur ex citat. cap. Gravis. l. de deposito, & docet Glossa communiter recepta ibidem verb. Personæ in fine. Præ-latus enim, & capitulum representant ecclesiam; arg. cap. Scire 7. q. 1. c. cap. Requisti 15. de testament.

(Nullum dubium occurrit, cuilibet personæ, Clericus sive sit, Regularis, aut Secularis, ecclesia sive monasterium, posse leg. 3. §. 7. tit. 3. p. 5. & 7. in fin. tit. 3. lib. 15. For. Reg. rem depositam ad custodiendum committi; & quilibet eorum ad rem tradendam tenetur vid. sup. sed ecclesia seu monasterium obligantur ad restitutionem rei depositæ dummodo consensus Prælati & Capituli inter-cesserit, vel absque eorum contradictione effectum sor-tiatur, aut denique in eorum utilitatem sit versum; sic est à prædicta leg. 7. determinatum, cum alterius damno Reg. 17. tit. 34. p. 7. veniat locupletandus.)

33 Depositarius si in periculo naufragii, hostiis incur-sus, vel incendii, nequit res suas & alienas salvare, pos-test res suas pretiosiores salvare præ alienis minus pre-tiosis. Est communis cum Glossa in l. Si ut certo, verb. Salvas facere, ff. commodati, Pirhing. lib. 3. Decret. tit. 16. num. 2. Reiffenstuel ibid. num. 40. Abbat. ibid. cap. 2. num. 2. Engel ibid. num. 9. Layman lib. 3. Theol. moral. tr. 4. cap. 7. Azor. part. 3. lib. 7. de commodato cap. 7. q. 6. Less. lib. 2. de just. & jur. cap. 27. num. 23. & 27. Et ratio est, quia nemo tenetur pati majus damnum proprium, ad evitandum minus alterius, tenetur enim quisque prius sibi prospicere, deinde proximo; Et in tali casu depositarius salvando res proprias pretiosiores, & deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere, quia censetur absque sua culpa, & casu fortuito interiisse; l. Si ut certo, §. Quod vero, ff. commodati, ubi Glossa cit. verb. Salvas facere, & l. In rebus, §. 1. ff. commodati, En-gel loc. cit. Reiffenstuel l. c. num. 41. Laym. l. c. num. 7. Azor. l. c. num. 7. quest. 6. cum aliis passim. Si res depo-sitæ sint pretiosiores rebus propriis depositarii, & utras-que salvare non possit, tenetur depositarius eas præ-ferre rebus suis vilioribus, illasque salvare postpositis pro-priis minoris pretii. Sic Abbas, Pirhing, Reiffenstuel, Less. Laym. l. c. arg. l. Quod Nerva, ff. de deposito, l. si-cut Certo §. Quod vero senectute, ff. de commodato, cap. Bona fides, 2. de deposito. Et ratio est, quia depositarius ex prudentia, & æquitate naturali tenetur adhibere cir-ca res penes se depositas, saltem eam diligentiam, quam quisque prudens circa res proprias adhibere solet; certum est autem quod res suas pretiosiores præ vilioribus suis periculo eriperet, adeoque etiam debet res alienas pretio-siores præferre suis minus pretiosis. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo pas-sus est jacturam, potest compensationem damni exigere, quia nemo tenetur cum suo damno conservare rem alte-ris, licet pretiosorem, quando contractus non est initus in gratiam recipientis, sed potius in gratiam dantis tan-tum, ut fit in deposito; Quamvis enim depositarius ex dictis teneatur res alienas pretiosiores præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii, potest tamen id facere animo exigendi compensa-tionem jacturæ, quam ideo passus est in propriis, l. Actio-ne depositi, ff. hoc tit. Lessius lib. 2. de just. & jur. c. 27. num. 28. Molina tr. 2. disp. 296. num. 4. Pirhing. l. c. n. 18. Reiffenstuel l. c. num. 44. Engel l. c. num. 9. & alii. Immo si depositarius non sit moraliter certus se posse recupe-rare à domino rei alterius pretium, seu compensationem damni, seu jacturæ passæ in præferendo rem alienam præ-

tiosorem suæ viliori; ad id non teneretur, quia nemo in his contractibus intendit se obligare ad expensas facien-das pro re aliena cum notabili, & gravi suo detrimento, vel probabili periculo ejus, ut recte docent Pirhing. l. c. num. 16. & Tambur. in Decalog. part. 2. lib. 8. tr. 3. c. 5. §. 7. num. 4. Si res propria, & aliena sint æqualis valoris, & æqueat depositarius utrasque salvare, tunc potest de-positarius salvare proprias, dimissis alienis. Sic communis cum Glossa, in l. Si ut certo; verb. Salvas facere, ff. com-modati, Less. l. c. num. 29. Molina l. c. num. 7. Pirhing. l. c. num. 17. Reiffenstuel l. c. num. 42. Et ratio est, quia quisque magis se ipsum diligere debet quam proximum, adeoque depositarius potest potius res suas, quam alie-nas salvare, cum utraque sunt æqualis valoris, eo vel maxime, quod depositum sit in gratiam solius deponentis.

(Si sententia Auctoris inter alia convenit, compensa-tionem exigi posse, dum pretiosiores res alienas vilioribus propriis præferuntur; videtur, in hac discussione super-flue procedi; quippe, nisi maximi pretii res fuerit aliena, impense in verificationem ejus quod est compensandum factæ, doambulatione pari passu cum estimatione & pre-tio sub cuius prætextu accedit compensatio; tuncque satius esset, nullam obligationem ex parte depositarii considerare, suas viliores alienis majoris pretii præferendo, quam actioni prædictæ se immiscere; nihilominus præ-leg. 1. tit. 15. lib. 3. For. Reg. prescribitur, casu superveniente, si res deposita cum propriis in incendio perierit, aut per furtum substractæ, juramento super hoc oblato, ad nil teneri, secus vero si jurare renuerit; per leg. 4. de certanti, restitutione quemlibet depositarium obstringi, dum aliquot evenerint casus, & incolumes res suas omnes servavit, depositasque salvas non fecit: ubi non omnes, sed aliquæ nullæ vero in deposito constitutæ, salvæ fuerint, utrumque, tam amissum quam reserva-tum debet conferri, estque faciendæ jacturæ sui damni æqualis partitio, nihilo secius quam si in totum vel in partem fuissent salvæ commendantæ; verum, si simpliciter dixerit, quamvis cum juramento asserat, esse res amis-sas, dummodo cum suis non essent alienæ deperditæ, non excusatur, leg. 2. ejusdem tit. & lib. For. Reg.)

¶ Nec de deposito miserabili, nec de deposito irre-gulari agit hic Auctor. De utroque tamen breviter est dis-serendum.

Depositum miserabile in Jure dicitur, quando aliquid naufragii, tumultus, vel incendii occasione depositum est, ita ut unica deponendi causa fuerit imminens pericu-lum, leg. 1. §. 3. ff. depositi. Sed depositum hoc misera-bile, ut recte monet Strykius in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. §. 1. non tantum in mox dictis casibus à ju-re expressis locum habet, sed & ad similes extendendum, puta si fiat depositum ob incursum hostium, ob aqua-rum inundationes, vel si peregrinus in gravi morbo constitutus teneatur eligere fidem hospitii. Confer etiam Bargal. de dol. lib. 5. c. 14. num. 38. Zahn, de Mendac. l. 2. c. 26. num. 2.

Illud vero singulare in hoc deposito occurrit, quod ex eo aliquando ob dolum agi possit in duplum, quum depositarius dolose depositum negat, in hæredem tamen tantum in simplicem ex dolo defuncti, nisi dolum proprius concurrat, ubi itidem tenetur in dolum, l. 1. §. 4. & leg. 18. ff. depositi.

Moribus vero hanc dupli poenam exolevisse tenet cum aliis Gronowegg, de leg. Abrogat. ad leg. 1. §. 1. ff. hoc tit. Sed et locum etiamnum esse debere sentit Strykius in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. §. 1. & ignorantia, imprudentiaque Judicium abscribendum esse, quod hæc poena communiter dictari non solet.

Depositum irregulare est quando rei fungibilis depo-

sita usus depositario concessus est, hac lege ut, suffi-ciat tantumdem restituere; Leg. 1. §. 34. leg. 24. leg. 26. ff. depositi. Concedi autem potest usus rei depositæ, vel tacite, vel expresse. Tacite si pecunia deposita non fue-rit obsignata, sed potius depositario adnumerata, leg. 26. §. 2. leg. 29. in princip. ff. Deposit. nisi tantales num-ri traditi sint, in quos propter eorum antiquitatem si-milemve causam cadere queat affectio, Bruneman. ad leg. 24. num. 3. ff. depositi. Expresse si ab initio, vel ex post facto usus pecuniæ depositario placuerit, con-ceditur, ubi antequam utatur manet depositum; leg. 1. §. 34. ff. depositi. leg. 10. ff. de reb. credit. Sed si depo-sitarius hoc urget, statim fit mutuum; leg. 9. ff. de reb. credit. In effectu interest, quod depositum sit in concu-rsu privilegatum, non compensabile, periculum non con-nexum habeat seens ac in mutuo; Confer, si plura cupias, de hoc deposito irregulari Stryk. in usu modern. Pandect. l. 17. tit. 3. §. 1. & præsertim Mascovium de deposito irregulari.

(Nil speciale nostris legibus circa exposita ex num. 46. usque ad 50. invenitur: conveniunt leg. 2. & 9. tit. 3. p. 5. Privilegium in restitutione rei depositæ competens, ali-quæ declaratione indiget: si pondere, numero, & men-sura consistit res in custodia commendata, etiamsi an-teriores personales creditores concurrant, datur prælatio: si reales, non competit: expensæ funerariæ, ad re-fectiohem domus, vel navis necessariæ, & dotales quo-que præferuntur, non aliter debitum regium ex delicto seu contractu proveniens; ubi autem res usu non con-sumptibilis deponitur, illico restituenda, si in potestate depositarii, aut hæredis reperitur, res semper suo do-mino clamat. Ad rem leg. 28. 30. & 33. tit. 13. l. 13. tit. 14. p. 5. Vide addit. hisp. verb. Bona laicalia, vers. Genera-litas, & verb. Cadaver, vers. Insuperhabito:.)

¶ Nunc veniamus ad depositum regulare. Verum est, quod ait Auctor num. 12. quod pactum ut ne de dolo agatur, haud valet in deposito. At valet pactum, ne depo-siti unquam agatur; leg. 27. §. 3. ff. de pact. quum tam-en vi ipsa id pactum sit, ne de dolo agatur: existimat Jacobus Gothofredus in leg. 195. ff. de Regalis juris, id inde promanare, quod expressa nocent, non expressa non nocent. Sed an recte, aliorum judicium esto.

Leges Romanæ infamiam notant eum, qui depositum dolose restituere recusavit, & ob dolum condemnatus est: An autem moribus ob dolum condemnatus adhuc infamis sit, questio est inter Doctores. Negat Schilter. exerc. 28. §. 50. Affirmat vero Stryk. in usu modern. Pandect. l. 17. tit. 3. §. 7. (Vid. num. 44.)

Gravior questio est, an exceptio retentionis ob impensas opponi queat deposito. Negativam sententiam tenet Hann. ad Wesembec. tit. depositi. num. 5. motus leg. 11. Cod. depositi. Ad communiter est opinio affirmativa, modo impense fuerint necessariæ, quum repetens merito in dolo sit, quod expensas hæc in ipsam rem depositam factas refundere nolit; quo ipso tamen beneficium hinc tributum est, quod rem meliorem recipiat; Brunemann. ad dict. leg. 11. num. 6. Mantie. de Ambig. Convent. l. 10. tit. 10. num. 5. & cum aliis Strykius in usu modern. Pan-dect. l. 17. tit. 3. §. 9.

(Absolute per leg. 10. tit. 3. p. 5. denegatur retentio propter expensas factas: poterit tamen depositarius repe-tere.)

manera de peligrar, è por alguno de estos embargos, ó por algunos semejantes dellos, diese alguna cosa de aquellas que tenía que se le perderian, en guarda á otro, si este á tal que la recibió la negase quando gela deman-dase, è despues desto gelo probase el otro, debe gela pechar doblada, è por eso gela debe asi pechar, porque face gran enemiga en negar lo que le habían dado en guarda, en tal sazón que estaba cuidado, en alguna de las maneras sobredichas, è non podría ser apercebido de catar, si era ome de recabdo aquel á quien la daba en

DESERVITORES.

CUM sæpe contingat, non posse statim ecclesie 60 parochiali vacanti de idoneo Rectore provide-ri, præsertim si per formam concursus providendum sit; ne per eam moram populus sacramentorum ac divini verbi necessario pabulo careat, atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursus in ecclesiis parochialium provisio-ne servandam, statuit quod "debeat Episcopus statim »habita notitia vacationis ecclesie, si opus fuerit, ido-neum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fruc-tuum portionis assignatione, constituere, qui onera »ipsius ecclesie sustineat, donec ei de Rectore provi-deatur." Sess. 53. c. 18. de Reformatione.

Hinc deputationem & electionem Deservitoris sive 61 Vicarii ad vacantem ecclesiam competere soli Episcopo, etiam Sacram Congregationem declarasse testatur Gar-cias. De benef. p. 9. c. 2. num. 13. (leg. 4. tit. 16. p. 1.)

Et id non tantum quoad ecclesias suæ collationis; 62 sed etiam ad aliorum collationem, electionem vel provisio-nem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes.

Immo, licet ecclesie vacantes non subjaceant con- 63 cursui, nihilominus Vicarium, earum vacatione occur-rente, constituendi Vicarium sive Deservitorem auctori-tas competit.

Quare vacante dignitate in ecclesia cathedrali, aut 64 collegiata, cui annexa est parochialis, Episcopus nomi-nat ac deputat Vicarium, seu Deservitorem; quamvis ipsa parochialis sic unita concursui non exponatur: uti notat Massobrius in praxi habendi concursum Episcopi. l. 1. dub. 16. qui & ibidem resolvit etiam in ecclesiis unitis Ca-pitulis deputandum esse per Episcopum idem Deservitorem; tametsi etiam ecclesiis illis deserviretur per vic-arios dumtaxat amovibiles.

Similiter ecclesie Patronatus laici, quin & Regii, 65 quamvis à forma concursus exemptæ, ab Episcopis sine præcisâ Patroni aut Regis nominatione vel presentatio-ne hujusmodi Deservitorem accipiunt, qui curam eccle-siæ vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

Electo Deservitore, sive Vicario, Concilium permit-tit Episcopi arbitrio determinare portionem congruam ejus sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius ecclesie parochialis vacantis.

In deputatione & electione Deservitoris Episcopus 67 audire non debet Examinatores Synodales; neque ab his Deservitor sive Vicarius examinari aut probari debet, sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

Vicarius hujusmodi constitutus, ex Concilio Triden-tino, debet subire onera Pastoralis, ipsique ecclesie & populo in Pastoralibus deservire.

Unde Vicarius Deservitor, & Vicaria dici solet De- 69 servitura, tamquam qui omnia præstet, quæ ipse paro-chus præstare deberet. Et ideo in litteris deputationis Vicarii sive Deservitoris, quarum forma extat apud Bar-bosam in Appendice ad Tractatum de offic. Episcop. forma 56. hæc ita exprimitur: "Te Vicarium ipsius »Ecclesie S. N. constitimus & deputamus, cum aucto-ritate Missas, & alia divina officia celebrandi, sa-cramenta administrandi, & alias funciones ecclesiast-

Qui rem incendii, naufragii, hostium incursus, aliorumque similibus casuum necessitate depositam negat, ad duplum tenetur: tunc enim crimen perfidie incrementum accipit; verumtamen, si alterius qualitatibus depositum sit, in simplicem ad fructus expensas, interesse, & damni inter alia etiam obligatur, atque notatur infamia, (1) si in utroque, intendens restitutionem, factum probaverit.

(1) L. 8. tit. 3. p. 5. Veyendose ome muy cuidado de fuego que le quemase la casa, do toviese sus bienes, ó

de avenidas de aguas que viniesen, que gelas levaria, ó si las toviese en algun navio que estoviese en hora, ó en ma-



11 *nticas obeundi, ad quæ tenetur, & quæ animarum qui-*  
*libet Rector 8. Administrator præstare & obire solet.*  
 Quæ admodum administratio sacramentorum, uti &  
 assistentia matrimonio, non est proprie actus jurisdic-  
 tionis, sed simpliciter actus pastoralis; ita Deservitor  
 aut Vicarius hujusmodi licentiam assistendi matrimonio  
 alteri sacerdoti dare potest ex Canonistarum fere om-  
 nium sententia; quia, ut ipsi inquirunt, delegatus est ad  
 universitatem causarum, cui subdelegandi auctoritas  
 competit; atque ita in praxi servatur.

Et hujusmodi jus assistendi matrimonio, ita compe-  
 tere eidem manifestum est, ut licet Episcopus speciali-  
 ter inhibuisset, ne ipse matrimonio individuo assisteret,  
 nec ulli alteri sacerdoti licentiam assisteret, daret; ni-  
 hilominus ejus assistentiam validum reddere matrimo-  
 nium apud omnes in confesso est; quemadmodum de-  
 clarasse sacrum congregationem refert Sanchez, de ma-  
 trimonio, lib. 3. disp. 32. inquit quia non obstante hac  
 simplici prohibitione magis delegatus ad curam anima-  
 rum, & loco parochi. \*\*\*

DETRACTIO.

ARTICULUS I.

Detractio quoad ejus esse, & modos quibus fieri potest.

SUMMARIUM.

- 1 **D**etractio quid sit.
- 2 **Q**uid sit fama.
- 3 **Q**uid sit honor.
- 4 **H**onor in uno sensu est majus bonum, quam fama, & in alio sensu est majus bonum fama, quam h. nor.
- 5 **D**etractio dividitur primo in formalem, & materia-  
lem, & quæ utraque sit.
- 6 **D**etractio dividitur secundo in directam, & indirectam,  
& quæ utraque sit.
- 7 **D**etractio dividitur tertio in contumeliam, diffamatio-  
nem, & usurrationem.
- 8 **C**ontumelia quid sit.
- 9 **D**iffamatio quid sit.
- 10 **S**usurratio quid sit.
- 11 **Q**uando qui calumniam, aut revelat, excusetur à pec-  
cato, sive hoc faciat, sive videntium quam mortuo-  
rum crimina describendo; ad num. 59.

**D**ETRACTIO est alienæ famæ occulta & injusta læsio,  
 seu denigratio; *Est in re communis:* Hinc ad uberiorem  
 detractiois notitiam advertendum venit, quod quamvis  
 honor, & fama quandoque sumantur pro eodem, revera  
 tamen differunt. Nam fama est estimatio bona de aliquo,  
 quoad aliquod ejus bonum, v. g. quoad ejus virtutem,  
 scientiam, pulchritudinem, nobilitatem, favorem prin-  
 cipum, divitias, & alia hujusmodi, quæ hominem com-  
 mendant, & bonam de ipso existimationem causant. Ho-  
 nor autem est testificatio quædam excellentiæ alterius, id  
 est exhibitio alicujus rei, velut in testimonium, & recog-  
 nitionem quandam excellentiæ, quam habet ille, qui ho-  
 noratur; Ex quibus habes, quod fama consistit in interna  
 bona existimatione; honor vero ex externa significatione  
 nostre existimationis de excellentiâ alterius; Hinc si ho-  
 nor sumatur prout includit famam, eique superaddit tes-  
 tificationem, recte dicit Lessius lib. 2. cap. 11. num. 5.  
 quod honor sit majus bonum, quam fama; Et è contra si  
 fama sumatur prout contradistincta ab honore, Card. de  
 Lugo de justitia, disput. 14. num. 9. merito dicit, famam  
 prævalere honori, quia melius est interne haberi pro bo-  
 no, quam externe tantum dici bonum, & interne haberi  
 pro malo; Si enim daretur optio, quilibet sanæ mentis  
 mallet, quod alii bene, & honorifice de se in corde sen-  
 tirent absque ullo signo, aut testificatione talis bonæ opi-  
 nionis, seu existimationis, quam quod bonam de se opi-  
 nionem, seu existimationem significarent, in corde ta-  
 men male de ipso sentirent, juxta illud Matth. 15. &

Marc. 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum*  
*longe est à me;* Nunc autem, quia non intuentur corda  
 hominum, magis gaudet quis de honore, quam de fama  
 sola; quia ex honore arguit se habere etiam bonam fa-  
 mam apud eos, qui ipsum exterius honorant. Ad absolute  
 loquendo majus bonum esse famam quam honorem se-  
 cundum se, tenent Sotus 6. de justitia quest. 10. art. 2.  
 Molina tom. 5. disp. 26. num. 1. Lugo loc. cit. n. 9. & alii.

(Detractiois descriptio per leg. 1. tit. 9. p. 7. desig-  
 natur, fere consonans cum præcedenti: honor per 17.  
 tit. 13. p. 2. cum superscripta convenit: fama vero eo-  
 dem modo per leg. 1. tit. 6. p. 7. describitur: ex bona fa-  
 ma commodum sibi & ceteris reportatur leg. 57. tit. 5.  
 p. 4. mala nil pejus leg. 12. tit. 18. 2. tit. 19. p. 2. tam-  
 quam inimicis & pro majore reputatur, qui proximi fa-  
 mam lædit leg. 2. tit. 2. For. Reg. nam cura est habenda  
 de bono nomine: hoc enim magis permanet tibi quam  
 mille aurei thesauri magni: melius est tibi nomen bo-  
 num, quod non augetur pretiosum: expedit magis mori  
 quam ut gloriam meam quis evacuet. Apostolus ad Co-  
 rinth. 9. Vid. in fin. ad num. 58.)

Detractio varie dividitur. Primo dividitur ex parte vo-  
 luntatis in detractioem formalem, & materialem. De-  
 tractio formalis est, quæ fit cum directa intentione alte-  
 ri nocendi, seu alienam famam denigrandi; Detractio  
 materialis est, quæ fit quidem absque directa intentione,  
 & voluntate alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi,  
 sed tamen cum prævisio, vel prævideri debito periculo no-  
 cendum, seu infamiæ alterius, adsoque non sine indirec-  
 to voluntario, intentione nocendi. Secundo dividitur ex  
 parte modi detrahendi in detractioem directam, & indi-  
 rectam. Directa est illa, quæ directe, & positive læditur  
 fama proximi, & fit quatuor modis contentis in hoc  
 versu: *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;*  
 primo scilicet imponendo alicui crimen falsum; secundo  
 amplificando; seu exaggerando crimen verum; tertio ma-  
 nifestando crimen occultum; quarto opus recte factum  
 sinistra interpretando, seu temere exterius judicando, ut  
 de illo Luce 11. *In Beelzebub Principis Dæmoniorum sicut*  
*Dæmonia.* Detractio indirecta est illa, quæ solum indirec-  
 te, & quasi negative læditur fama proximi, & fit etiam  
 quatuor modis contentis in hoc alio versu: *Qui negat, aut*  
*minuit, tacuit, laudatque remissis;* primo scilicet negando  
 alterius bonum, seu recte factum, vel ejus dotes: secun-  
 do bonum, vel dotes alterius extenuando; tertio, tace-  
 do malitiose bonum, vel dotes alterius eo loco, & tem-  
 pore, quo tale silentium interpretatur ab aliis pro taci-  
 ta vituperatione; quarto ita frigide, & simulate loquen-  
 do, ut talis laus potius cedat in diminutionem famæ al-  
 terius, seu ejus vituperium juxta illud Gellii l. 10. Tur-  
 pius est exigere, atque frigide laudari, quam insectanter,  
 & graviter vituperari. Tertio dividitur detractio ex parte  
 circumstantiarum in contumeliam, diffamationem, & sus-  
 rurationem. Contumelia est injuria, quæ alteri crimen  
 falsum, vel verum occultum palam in ejus præsentia quæ-  
 si in faciem objicitur, & est gravior detractio, quia  
 detractio lædit proximum in absentia, contumelia in præ-  
 sentia, atque adeo illa lædit solum famam, ista vero fa-  
 mam & honorem; Cum contumelia conveniunt *convitium,*  
*& improprium;* Similiter *derisio,* & *subornatio,* quæ  
 motibus injuriosis corporis fieri solet, juxta illud *Prov-*  
*verb. 6. Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prævo-*  
*corde machinatur malum.* Diffamatio est detractio famæ  
 alterius publica, seu coram multis facta, & cum directa,  
 vel indirecta intentione alterius infamiam in publicum  
 propalandi. Susurratio est prava oblocutio de proximo  
 ad injuste tollendam amicitiam ipsius cum aliis, discor-  
 diamque seminandam, juxta illud Beelæstiaci 28. *Sus-*  
*surro, & bilinguis maledictus.*

Detractio calumnians, quæ crimen falsum alteri im-  
 ponitur, nisi excuset materia levis, est semper peccatum  
 mortale, quia falsitatem proponere in nullo casu licitum  
 existit, cum mendacium sit intrinsece malum, & si sit in  
 materia gravi, peccatum mortale. Unde merito Innocent.  
 XI. die 2. Martii 1679. tres sequentes condemnavit  
 propositiones, quarum prior in ordine 20. sic habet: *Fas*  
*est viro honorato occidere iracundem, qui vitium calumniam*  
*in-*

*inferre; si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Altera ordi-  
 ne 43. sic sonat: *Quidni non nisi veniale sit Detrahentis*  
*auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? Et*  
*alia ordine 44. sic dicit: Probabile est non peccare morta-*  
*liter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam,*  
*& honorem defendat; Et si hoc non est probabile, vix erit*  
*opinia probabilis in Theologia.*

Ad coercendam detrahendi licentiam, respondeas-  
 que quorundam Casuistarum sententias, pro affectu legat  
 Christianus caput 3. & 4. Epist. Cath. B. Jacobi  
 Apostoli, teneatque hanc D. Thomæ doctrinam: "Si ver-  
 ba; per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis  
 propter aliquod bonum necessarium, debitis circum-  
 stantibus observatis, non est peccatum, nec potest dici  
 detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter  
 causam aliquam non necessariam, nec potest peccatum  
 mortale: nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo gra-  
 ve, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præci-  
 pue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia  
 hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati  
 mortalis." Sum. 2. 2. quest. 73. art. 2. Nec ignorantia te  
 excusat (ab obligatione restituendi) si scire debuisti ex  
 factis tui injuriam verisimiliter posse contingere vel jac-  
 turam.

Detractio non calumnians, sed revelans tantum, quæ  
 alterius verum, sed occultum crimen prodit, est pec-  
 catum mortale, quatuor concurrentibus videlicet; Pri-  
 mo, si *adit voluntarium perfectum;* Secundo, *materia gravis;*  
 Tertio, *Res occulta;* Quarto, *Injustitia revelandi.*  
 His conditionibus, vel una earum deficiente, evadit pec-  
 catum veniale, aut excusatur omnino à peccato. *Est com-*  
*munis.* Hinc resolves primo, quod defectu voluntarii per-  
 fecti detractio, quod de sui natura esset peccatum mortale,  
 redditur tantum veniale, aut excusatur omnino à  
 peccato, sicut patet in ceteris aliis peccatis. Divus enim  
 Augustinus lib. de vera religione cap. 4. sic expresse ait  
*Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo mo-*  
*do sit peccatum, si non sit voluntarium.* Item nisi dica-  
 mus ob imperfectionem actus, v. g. ob ignorantiam, aut  
 inadvertentiam ad nocendum proximi, vel ob vehe-  
 mentem passionem, aut præcipitantiam mentis, & linguæ,  
 detractioem sæpissime excusari à mortali; adeo familia-  
 re est hoc vitium, quod totum pene genus humanum pe-  
 riclitabitur, siquidem, ut dicit Divus Jacobus in sua  
 epistola catholica cap. 3. *Lingua modicum quidem mem-*  
*brum est, sed inquietum malum, quod nullus domare*  
*hominum potest.* Unde qui detrahit ex naturali impetu  
 prave consuetudinis, & loquacitatis absque omni adver-  
 tentia ad damnum proximi, non peccat mortaliter in  
 ipso actu, licet peccent in sua causa, scilicet ipsa mala  
 consuetudine voluntariè contracta, & retenta, justa ge-  
 neralem regulam communiter traditam à Doctores in  
 materia de peccatis ex consuetudine.

Resolves secundo, quod defectu materiæ gravis de-  
 tractio evadit solum peccatum veniale. Si enim levis sit  
 materia, sive in se absolute, sive habita ratione circum-  
 stantiæ personæ, utique excusabitur à mortali, & evadit  
 veniale ex parvitate materiæ, sicuti in ceteris peccatis  
 versantibus circa materiam divisibilem in levem, & gra-  
 vem, juxta communem Doctores sententiam in materia  
 de peccatis. Levitas autem, & gravitas materiæ detractio-  
 nis attendi debet potissimum ex conditione personæ,  
 quæ infamatur, quia fieri potest, ut narrando defectus  
 alicujus solum veniales, vel etiam naturales, spectata  
 conditione, & statu illius; grave damnum quis inferat,  
 & sic graviter peccet; ut si qualificatum, & optimi no-  
 minis religiosum mendaciis assuetum esse dicat, virum  
 gravem ac consularem, dicat illegitime natum, ortum  
 esse de genere hebræo, & hujusmodi: Et è contra fieri  
 potest, ut non sit peccatum mortale referre peccata mortalia,  
 quæ ob conditionem personæ non notabiliter famam  
 lædant, v. g. si quis dicat militem habere concubinam,  
 fuisse ebrium, pugnasse in duello, adolescentem  
 esse prodigum, deditum amoribus &c. Sic communi-  
 ter Doctores cum Layman l. 3. tract. 3. part. 2. cap. 3.  
 num. 3. Cajet. 2. 2. q. 73. art. 2. §. Ad hoc dicitur, Sot.  
 leg. 4. q. 6. art. 3. circa 4. arg.

ERRATA BIBLIOTECÆ TOM. III.

Ad uberiorem hujus materiæ notitiam libet hic affer-  
 re varios casus particulares in praxi frequentissimos. 17  
 Regulariter igitur non est mortale revelare defectus natu-  
 rales animi, corporis, vel naturæ, v. g. quod quis sit  
 ignarus, illegitimus, luscus, &c. nisi inde aliquod gra-  
 ve damnum eum sequatur, quia tales non sunt defectus 18  
 mortales culpabiles. Ita communis. Similiter non est mor-  
 tale narrare defectus morales de aliquo in generali di-  
 cendo v. g. esse superbum, iracundum, avarum, &c.  
 quia audientes plerumque interpretantur de naturali propen-  
 sione, & defectu involuntario; nec oritur grave dam-  
 num famæ; S. Ant. part. 1. tit. 8. cap. 4. Layman loc. cit.  
 cum communi. Mortaliter tamen peccat, & detrahit, 19  
 si quis de determinata persona in generali dicat, v. g. si  
 scire quid de illo, quod si dicat, sit cum magno rubore  
 affecturum; quia audientes ex his, & similibus verbis  
 arguunt de eo aliquod grave delictum asserens ei gra-  
 vem infamiam. Omnes. Non est mortale de aliquo igno-  
 to, vel indeterminato male loqui, v. g. in tali loco esse 20  
 multos improbos, in tali collegio unum canonicum com-  
 misisse grave crimen, v. g. simoniam; Si tamen non sit  
 tale crimen, quod in aliorum damnum redundet, quia  
 tunc ratione talis gravis damni in alios redundantis erit  
 mortale. Trull. d. 14. cum Az. Bonacin. Busembaum, &  
 aliis passim. Hinc qui dicit religiosum talis monasterii,  
 vel ordinis; hominem talis familiæ tale, vel tale crimen 21  
 commisisse, v. g. adulterium, fornicationem, & hujus-  
 modi, peccat mortaliter, quia licet congregatio v. g. re-  
 gularium re ipsa non maculetur ex unius religiosi malitia,  
 aut perfidia, sicut nec collegium Apostolorum ex  
 proditioe Judæ; maculatur tamen apud homines simplices,  
 & imperfectos, quibus id sæpe multiplex scandalo  
 esse solet. S. August. Epist. 137. ad Clerum Hippo-  
 nensem, Layman loc. cit. num. 12. Sporer tom. 2. tract. 5.  
 cap. 4. num. 61. Molina, Navarr. & alii. Gravius autem,  
 & gravissime peccat, qui ordinis, seu congregationis ali-  
 cui religiosorum in communi, vel monasterio detrahit di-  
 cendo v. g. quod in eo male vivatur, non servetur Ob-  
 servantia Regularis, & hujusmodi; (nisi tamen sit plane  
 notorium) quia talis gravissimum damnum asfert toti  
 Religioni, seu Congregationi, aut Communitati Reli-  
 giosæ, Layman loc. cit. num. 12. Trull. d. 14. Busemb.  
 loc. cit. num. 15. Sot. Navar. & alii passim. Diffamatum  
 in uno crimine de altero valde affini infamare, v. g. di-  
 cere de adultero, quod miserit litteras amatorias, est tan- 22  
 tum peccatum veniale, quia tunc non notabiliter augen-  
 tur infamia; de disparato tamen, & non connexo, seu  
 affini delicto infamare, est mortale, quia infamis in uno  
 genere vitii, non amittitur famam in aliis virtutibus; Tan-  
 net. dist. 4. de justitia quest. 8. d. 7. num. 141. Less.  
 dub. 14. Busemb. loc. cit. num. 11. Navarr. & alii plures.  
 Ne nimis in longum adducantur consimiles casus ad  
 dignoscendum, an graviter, vel leviter peccetur in hujus-  
 modi materia, asseritur sequens regula generalis adduc-  
 ta à meo Sporer loc. cit. num. 59. *Quoties notabiliter fama 24*  
*alterius læditur, sive defectus narratus sit mortalis, sive*  
*venialis, sive naturalis tantum, toties peccatur mortaliter.*  
*Quoties vero leviter læditur fama, peccatur veniali-*  
*ter; quando nihil læditur, quicquid dicitur, nihil peccatur*  
*ex hoc capite.*

Resolves tertio, quod defectu rei occultæ detractio 25  
 evadit solum peccatum veniale; nam crimen jam notorium  
 referre apud alios jam scientes, vel sine dubio aliis  
 brevi scituros seclum alio maligno affectu, vel effectu malo,  
 est ad summum peccatum veniale, & sæpe etiam  
 nullum peccatum. Quoad alios vero nondum scientes  
 crimen aliis notorium, diligenter est attendendum, quia  
 notorietate sit notorium. Duplex enim est notorium, scilicet  
 licet, notorium notorietate juris, & notorium notorietate  
 facti; Notorium notorietate juris dicitur id, quod scitur  
 per confessionem rei in publico judicio, vel per sententiam  
 Judicis jam publicatam; Notorium notorietate facti  
 dicitur id, quod per ipsam facti evidentiam apud tot est  
 ita notum, ut nulla tergiversatione clari possit; Gloss.  
 in c. Vestra, de cohabit. Clericor. & mulier. Ut autem  
 aliquod dicitur notorium notorietate facti, aliqui dicunt 27  
 sufficere, quod sciant decem, quia hic numerus sufficit